



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

B. Alberti Doctoris Magni ex Ordine Prædicatorum Episcopi Ratisponensis De Adhærendo Deo Libellvs

**Johannes <de Castello>
Albertus <Magnus>**

Antverpiae, 1621

Cap. XXX. Qualiter disputauit Albertus contra VVilhelmum de sancto amore, & eius complices; & de gratia in labiis Alberti infusa diuino munere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44148

Fratrum Patrona singularis, dum hostes suorum filiorum perdere voluit, non nisi per Alberti Secretarij & Scribæ manum plagam tantæ confusionis eisdem inimicis inferret.

CAPVT XXX.

Qualiter disputauit Albertus contra VVilhelmum de sancto amore, & eius complices; & de gratia in labiis Alberti infusa diuino munere.

DE ipso autem Wilhelmo præfato infamatore Fratrum Prædicatorum Frater Iacobus de Zuzato Magister in Theologia Ordinis Prædicatorum ad Magistrum Ordinis in sua Chronica clariùs scribit in hunc modum: *Libellus, inquit, De periculis nouissimorum temporum, compositus à Magistro VVilhelmo de sancto amore, Canonico Belluacensi, damnatus & combustus est per Papam Alexandrum Quartum in Ecclesia Cathedrali Anagnina, tum propter hereses quas continebat, tum etiam propter hoc quòd contra Religiosos seditio-nem & scandala concitabat. Continebat enim*

enim quòd omnes Religiosi non laborantes, sed de eleëmofynis viuentes, saluari non possent. Contra hunc cùm citatus esset ad Papam, ad Curiam Frater Albertus Teutonicus de Ordine Prædicatorum mittitur, ad respondendum ei de contentis in dicto Libello. Veniens autem Albertus Anagniam, ubi tunc erat Curia, cautelosiùs inuestigabat de Libello dicto si quisquam eum haberet: compertoque quòd apud scriptorem esset, dedit pecuniam quam scriptor requisivit, & Libellum excopiari fecit. Habuit igitur dictum Libellum integrum Albertus per diem vsualem & noctem ante Consistorium super ea causa futurum. Cùmque Liber legeretur, & Albertus, sicut erat facundissimus, responderet; in labiis eius tanta gratia diffusa est, quòd omnes qui eum audierunt afficerentur stupore, glorificabantque Deum qui talem hominem ad hoc elegerat ut Ordines suos sanctos à linguis nequam per ipsum defensaret. Responsiones autem Alberti factas in Consistorio super obiectis, fideliterque reportatas, sanctus Thomas Aquinas abbrevians & in unum redigens, ex eis Librum gratiosum compilavit, qui iam intitulatur, Thomas

234 B. ALBERTI MAGNI
contra VVilhelmum. hæc Magister Ia-
cobus præfatus in dicta sua Chronica.

CAPVT XXXI.

*De exemplo quod retulit Albertus
Fratribus causâ edificationis: &
quòd in omni necessitate inuocan-
dum sit diuinum auxilium.*

SED certè congruum valdè fuit vt in
Alberti labiis esset diffusa gratia
specialis, eò quòd ipse in matre gratiæ
Genitricis Dei singularissimam, vt ipse-
met refert in Laudibus Virginis, habe-
bat: vnde non tantùm doctrina & suo
exemplo nos admonet in Deum & Vir-
ginem gloriosam habere confidentiam
in omni euentu, verùm & aliorum Fra-
trum exemplo nos instruit in huiusmo-
di, ne quisquam diffidat de patrocinio,
si orationi institerit firma confidentia.
Refert ergo nobis Pater hic venerabilis
Albertus in Vitis Fratrum Prædicato-
rum, quarta Parte, cap. De consolatio-
nibus Fratrum, quòd cùm ipse Prior
Prouincialis Teutonix esset receptus,
fuit quidã Nouitius insufficiens scien-
tia